EPHEMERIS

CRABATUS

SIVE MOLENDINUM SATANICUM

Fabula Otfridi Preußler a Nicolao Groß in Latinum conversa

ÉVORA

2013

PRAEFANDA

1. Praefanda

1. De auctore



Otfridus (Otfried) Preußler natus est d.20.m. Oct. a. 1923 in Bohemiâ. Abiturio superato Otfridus miles factus Bello Mundano altero a.1944 a Russis in vincula coniectus est. Idem post quinque demum annos, aetate 26 annorum, dimissus est. Feliciter accidit, ut eius cognati et amica fugere possent Rosenhemiam. Idem in oppidum Otfridus iit et eodem anno amicam in matrimonium duxit.

Cum parentes iam essent magistri, Otfridus quoque constituit, ut disceret docere. Ut eo tempore, quo tirocinium magistrale fecit, satis pecuniae mereretur, operabatur munere diurnarii birotâ vehentis fungens et coepit fabellas pueriles scribere pro emissionibus radiophonicis. Ex a.1953 munere functus est magistri et rectoris scholaris.

Otfridus cum factus esset pater trium filiarum, solebat iisdem recitare fabellas a se ipso confictas, ut obdormiscerent. Unam ex iisdem fabellis Otfridus publicavit a.1956: quae inscribitur „Der kleine Wassermann" (Aquariolus). Postea idem auctor paulatim in claritudinem pervenit. Itaque Otfridus a.1970 a munere rectoris scholaris destitit et factus est auctor lîber. Eiusdem opera clarissima sunt „Der Räuber Hotzenplotz" (Raptor Hotsenplotsius), „Die kleine Hexe" (Magula) necnon „Crabatus".

http://www.preussler.de

1.2. Summarium e Wikipediâ excerptum et Latinê redditum

Krabat est liber iuvenilis Otfridi Preußler a.1971 in lucem editus. Argumentum huius libri confictum est secundum mythum Sorborum sive Venedorum popularem. Eâdem fabulâ narratur de puero Crabato, qui tiro molitoris magistri magici factus et

illius maleficiis satanicis obnoxius studet libertatem suam recuperare. Denique amor vincit potestates obscuras.

INDEX CONTENTORUM

1. Argumentum Crabati

Fabula agitur in Lusatiâ (sorb. Łužica) tempore Magni Belli Borealis, de Crabato puero orbato quattuordecim annos nato, qui tiro fit in molendîno, quod situm est in Uligine Coselianâ (Koselbruch), prope vicum Nigricolmiam (Schwarzkollm). At iam brevi post Crabatus animadvertit hoc molendînum esse scholam magicam, in qua ipse unâ cum undecim discipulis ceteris a Magistro Molitore instituitur arte nigrâ.

In initio Crabato placet tirocinium molitorium idemque magicum. Qui admiratione commovetur potestatis magicae, quam habeat in alios homines. Necnon in familiaritatem venit sociorum molitoris. Amicus Crabatus familiarissimus fit Tonda, socius maior natu, qui sibi fit exemplo. At ne per annum quidem haec amicitia durat, nam Tonda primo iam anno exeunte moritur – dicitur hoc factum esse infortunio – et proximo anno ineunte novus tiro in locum Tondae succedit. Etiam altero anno exeunte unus e sociis moritur mysterialiter – cuius in locum iterum supponitur tiro novicius. Crabatus paulatim et gradatim perspicit istunc lusum horribilem, cuius ipse particeps factus est: A Magistro Molitore, qui animam suam diabolo oppigneravit, omni anno exeunte unus e discipulis suis immolandus est „Domino Patrino" („dem Herrn Gevatter"). Alioquin sibi ipsi moriendum esset.

Crabatus, ut Tondam amicum suum aliosque socios interfectos ulciscatur, artem nigram quam optimê exercet et denique fit molitoris discipulus omnium optimus. Voluntas autem Crabati confirmatur amore cuiusdam puellae (quae appellatur Kantorka, Sorbico nomine praecantatricis cantuum paschalium); eam clam convenit, sed puellae nomen ignorat.

Denique Iuro, unus e sociis, Crabato patefacit esse viam, qua magister superetur: Necesse esse, ut puella Crabatum amans magistrum roget, ut Crabatum dimittat. Examine quod sequitur decertatur, cui moriendum sit: magistro an amantibus. Amantes si superaverint, etiam omnes ceteri socii liberabuntur ab exsecratione molendîni nigri. At exsecratione sublatâ etiam tollentur sociorum facultates magicae, ut iidem nihil sint nisi socii molitores.

Denique magister Crabato aliam quoque viam patefacit: Crabatum posse etiam examine omisso fieri magistri successorem, sed Crabato recipiendum esse contractum cum „Domino Patrino" factum et loco sui ipsius unum ex aliis sociis immolandum, hôc anno omnique futuro. At Crabatus animo firmo istanc magistri oblationem respuit: se nolle culpam contrahere aut culpae fieri participem interfectione consociorum. Itaque Crabatus unâ cum puellâ suâ eligit viam amoris. Puella autem magistrum cum rogaverit, ut Crabatum dimitteret, a magistro subicitur examini: Cantorcae oculis obvelatis inveniendus est Crabatus amatus inter undecim socios versans. Tum Crabatus timore corripitur puellae amatae: qui sibi videtur in culpâ esse, quod puellae moriendum sit – at Cantorca cum sentiat Crabatum timere de vitâ Cantorcae - non de propriâ – illum ideo agnoscit; quo fit, ut examen superet: Crabatus eiusque consocii sunt liberi. Ultimâ nocte anni moritur magister, molendînum incendio absumitur: - malum victum est amore.

Quomodo fabula exorta sit

Otfridus Preußler Crabatum scripsit – quibusdam spatiis interpositis – per decem annos. Exemplo sibi fuit quidam Sorbicus mythus Crabati popularis, qui agitur saeculo 17.o exeunte prope vicum Nigricolmiam (Schwarzkollm) in Lusatiâ Superiore (Oberlausitz), inter Hoyersverdam (Wojerecy) et Camentium (Kamenz, Kamjenc) sitam. De tirone, qui debet magistro suo resistere eundemque ad pugnam provocare, in multis aliis mythis narratur, necnon de amore, quo tiro redimitur. Otfridus de libro suo dicit haec:

„Meus Crabatus est ... mea historia, historia hominum mei coaequalium omniumque iuvenum, qui in potestatem eiusque illecebras incidentes iisdem irretiuntur."

Prima editio Crabati Otfridiani facta est a.1971 in Aedibus Arenae, ex anno 1981 hic liber editur in Aedibus Thienemannianis. Imagines et editionis communis et editionis decorissimae a.2005 factae, quae est colore sepiaceo, delineati sunt ab Herberto Holzing. Liber Crabati interim conversus est in 31 (triginta unam) linguas. (Sequetur versio tricesima secunda, quae est Latina! adn. interpretis).

Praemia

Krabat liber Otfridi Preußler a.1972 honestatus est Praemio Libri Iuvenilis Germanico et Polonico; a.1973 honestatus est „Stilo argenteo Roterodamensi", i.e. praemio libri iuvenilis Batavico; mit dem Deutschen Jugendbuchpreis und dem Polnischen Jugendbuchpreis ; Universitatis Patavinae Praemio Libri Iuvenilis Europaeo; Praemio Associationis Librariae Americanae"; a.1977 praemio libri iuvenilis ab unione editorum Polonorum donato..

Adaptationes artificiosae

Crabatus ad cinemata redactus

Secundum librum Preußlerianum a.1977 a Bohemo Karel Zeman sub titulo Čarodějův učeň confecit cinema animatum laudatissimum. In versione Theodisca vox magistri molitoris edita est a Friderico (Friedrich) Schütter..

Marco Krezpaintner dissignante annis 2006-2008 confectum est cinema. Quod primum actum est d.23. m.Sept. a.2008 in cinematêo „Lichtburg" urbis Essen et e die 9. m.Oct. in cinematêîs Germanicis spectatur..

Crabatus auditorius

- Sub notâ mercatoriâ Karussell a.1983 confecta est series ludorum auditoriorum tripertita, in qua Otfridus Preußler librum suum recitat..

- A. 2008 eodem tempore ac cinema Crabatianum in domo editoriâ Jumbo editus est ludus auditorius, quo narratur fabula Preußleriana et interponuntur voces cinematis originales..

Crabatus in dramata et melodramata redactus

- Melodrama Krabat (1982) a Caesare Bresgen secundum versionem scaenicam Preußlerianam compositum a.1983 primo in scaenâ actum est.

- 1994 fabula theatrica a Ninâ Achminow composita, quae inscribitur Krabat, in Monacensi Theatro Principis Regentis primo acta est.

- M. Maio a.2007 Friderici (Fredrik) Zeller melodrama Krabat primo actum est in Manhemiensi Theatro Nationali, intra programma, quod dictum est Junge Oper (melodrama iuvenile).

- 2001 Crabati argumentum receptum est a grege musico Stillste Stund cantico Mühle mahlt (Molit molendînum).

- 2008 grex musicus ASP mythum Crabati cantavit cyclo quindecim canticorum: AUDI CANTICA CRABATIANA:

- **Krabat**

    - http://www.youtube.com/watch?v=vh69Az_F8Ss&feature=related
    - http://www.youtube.com/watch?v=vh69Az_F8Ss

- **Die Teufelsmühle**

    - http://www.youtube.com/watch?v=aBq09Ykq79w&feature=related

- **Denn ich bin der Meister**

- http://www.youtube.com/watch?v=6rTZxDdFwSo&feature=related

- **Fluchtversuch**
    - http://www.youtube.com/watch?v=x5sPk_HXtF8&feature=related
- **Elf und einer**
    - http://www.youtube.com/watch?v=QL3X538H7y0&feature=related

Litterae ad fabulam Crabati spectantes

- Otfried Preußler: Krabat. dtv, München 1980, ISBN 3-42325-087-9
- Otfried Preußler: Krabat. Schulausgabe mit Materialien. Thienemann, Stuttgart 1988, ISBN 3-52214-410-4
- Otfried Preußler, Heinrich Pleticha: Krabat – Lehrerbegleitheft. Thienemann, Stuttgart 1988, ISBN 3-52214-450-3
- Johannes Diekhans (Hrsg.), Timotheus Schwake: Otfried Preußler, Krabat. Schöningh, Paderborn 2007, ISBN 3-423-25087-9 (Unterrichtsmodell in der Reihe EinFach Deutsch)
- Heiko Fritz: Das Mysterium der Mühle. Mit einer Deutung der Geschehnisse in Otfried Preußlers Roman „Krabat". 1. Auflage. Igel, Oldenburg 2002, ISBN 3-89621-147-1

Iunctiones interretiales

- De Crabato refertur in paginâ Otfridi Preußler interretiali
- Opus Crabati recensetur ab ephemeride „Preußischer Landbote"

Fontes:

1) ↑ http://www.preussler.de/multimedia/krabat-index.html]
2) ↑ http://www.preussler.de/werke/jugendbuecher01.html
3) ↑ Krabat (1977) in „Internet Movie Database (Anglicê)
4) ↑ Krabat (2008) in der Internet Movie Database (Anglicê)
5) ↑ http://www.karussell.de/krabat_das_1._jahr_otfried_preuszler_19833.jsp
6) ↑ http://www.jumboverlag.de/krabat/index.html

http://de.wikipedia.org/wiki/Krabat_(Preu%C3%9Fler)



Magus Magister Molitor (Christian Redl) et Crabatus (David Kross)



Crabatus (David Kross)



Cantorca Crabati amica amatissima (Paula Kalenberg)



Ecce 39 imagines cinematis Crabatiani:

http://www.filmstarts.de/kritiken/73775-Krabat/bilder/Scene%203.html

Ecce cinema introductorium:

http://www.youtube.com/watch?v=sUd43YtS20Y

Ecce quomodo condocefacti sint corvi Crabatiani:

http://www.youtube.com/watch?v=vuHRE6aI2rk&feature=user

Ecce quomodo vestimenta facta sint Crabatiana:

http://www.youtube.com/watch?v=3EHZkVwLVVU&feature=user

Haec hactenus de Crabati fabula et cinemate. Mox accipietis versionis Latinae partem primam. Utinam vobis placeat!

CRABATUS II

Undecim et unus

Magister Crabato indicavit, ut secum veniret. Tacitus candelâ usus puerum duxit per arduam scalam ligneam in granarium, ubi pueri molinarii dormire solebant. Crabatus lumine candelae duodecim camas humiles saccis stramineis obtectas, sex in uno latere andronis medii, sex in altero; iuxta omnem camam stabat armarium et scabillum ligno pineo confectum. In saccis stramineis posita erant stragula pervoluta, in androne nonnulla scabilla deiecta, etiam camisiae et lobi pedales hic et illic. Pueri molinarii videbantur subito e lectis arcessiti esse ab laborandum.

Unum tantum cubile erat intactum; magister digito indicavit fascem vestimentorum in eiusdem parte pedali positum. „En res tuas!" Deinde idem conversus cum lucernâ abiit.

Nunc Crabatus solus stabat in tenebris. Lentê coepit se exuere. Cum mitellam de capite sumeret, summis digitis tetigit coronam stramineam: Ah ita, heri adhuc se fuisse unum e Tribus Regibus – quanto spatio illud remotum esse.

Etiam granarium resonabat molendini fragore atque pulsatione. Puero feliciter accidit, ut esset fatigatissimus. Vix sacco stramineo incubuerat, cum obdormivit. Qui dormiebat tamquam caudex – dormiebat et dormiebat – dum experrectus est radio luminis.

Crabatus considens terrore obstupefactus est.

Undecim figurae albae cubili eius adstabant, quae in lumine lanternae stabulariae in Crabatum despectabant: undecim figurae albae, albis faciebus, albis manibus.

„Vos qui estis?" puer timidê interrogavit.

„Tales, qualis tu quoque mox eris" unum e phantasmatis respondit.

„At tibi nil mali faciemus" alter addidit „Nos hîc sumus pueri molinarii".

„Undecimne estis?"

„Tu es duodecimus. Quis vocaris?"

„Vocor Crabatus. – Et tu?"

„Ego sum Tonda, socius maior natu. Hic est Michael, hic est Martinus, hic est Iuro ..."

Tonda illorum nomina ordine appellavit; deinde idem hoc die sibi videtur satis locutus esse. „Perge dormire, Crabate, in hoc molendino tibi opus erit viribus tuis."

Pueri molinarii in camas suas irrepserunt, ultimus lanternam flando extinxit – bonam noctem, iam coeperunt stertere.

Ad ientaculum sumendum pueri molinarii congregati sunt in cella familiarica. Comederunt circa mensam longam consedentes, apparata erat pinguis puls avenacea, quaterni pueri comedebant ex unâ patinâ. Crabatus cum esuriret, pultem degluttivit more trituratoris in fenili laborantis. Qui intra se cogitavit, si tam bene pransurus et cenaturus esset quam ientasset, fore, ut in hôc molendino viveret sat iucundê.

Tonda socius catulaster erat conspicuus, capillîs densîs cânîsque; sed facie îdem videbatur esse minor annis triginta. Tonda erat magnâ gravitate, ut accuratius dicam: oculi eius. Crabatus e primo iam die illi coepit confidere; nam placebant Tondae animus aequus et comitas, qua Crabatum tractabat.

Tonda ad puerum versus „Spero" inquit „te hodiernâ nocte a nobis non nimis territum esse".

„Non nimis" Crabatus dixit.

Crabato illa phasmata, si aspectabat lumine diurno, visa sunt similia sescentis pueris aliis. Omnes undecim loquebantur linguâ Venedicâ et nonnullis annis maiores erant quam Crabatus. Iidam quandocumque Crabatum aspiciebant, hoc non fiebat nisi

quadam cum misericordiâ, ut illi videbatur. Crabatus de hac re miratus est, sed nil mali suspicatus.

At vestimenta, quae invenerat in camâ extremâ, causae erant, cur Crabatus deliberaret: eadem detrita quidem erant, sed tam bene apta ad corpus Crabati, ut viderentur confecta esse ad vestiendum eum ipsissimum. Crabatus e catulastris quaesivit, unde haec vestimenta acciperent et cuius fuissent antea; at vix haec quaerenda elocutus erat, cum pueri molinarii cochlearibus demissis illum tristes aspexerunt.

„Stultumne aliquid dixi?" Crabatus interrogavit.

Tonda „Non, non" inquit „res ...spectant ad praecessorem tui."

Crabatus sciscitans „Quid" inquit „cur ille non iam adfuit? Finivitne tirocinium?"

„Ita, ille – finivit" Tonda dixit.

Hôc momento temporis ianua raptim est aperta. Magister intravit, irâ incensus, pueri molinarii capita demiserunt. Magister verbis „Nolite blaterare!" illos invectus est; uno illo oculo in Crabatum coniecto voce asperâ addidit: „Qui multa quaerit, multa errat. – Repete hoc!"

Crabatus balbutivit: „Qui multa quaerit, multa errat..."

„Aurem tibi pervelle!"

Magistro cellam familiaricam relinquente ianua conclusa est raptim et fragosê.

Catulastri perrexerunt pultem cochlearibus haurire, sed Crabatus subito fuit satur. Qui consilii expers oculis torpidis spectabat in mensae tabulam, a nemine est respectus. An est?

Cum Crabatus suspiceret, Tonda aspiciens ei annuit – vix notabiliter, sed puer grato animo hoc animadvertit. Bonum esse sensit, quod in istôc molendîno sibi esset amicus.

Ientaculo sumpto pueri molinarii coeperunt laborare, Crabatus cum ceteris cellam familiaricam reliquit. In androne magister stabat, qui Crabato manu indicans dixit: „Vĕni mecum!". Crabatus magistrum foras secutus est. Sol splendebat, nullus ventus flabat, frigora erant, ex arboribus pendebat pruina vitrea.

Magister eum duxit post molendînum, ibi erat ianua parieti domus posticae imposita, quam aperuit. Deinde ambo unâ intraverunt cellam farinosam, conclave humile duabus fenestellis pusillis, pulvere farinaceo obsitis, non pellucidis. Pulvis in pavimento, pulvis in parietibus, pulvis digiti crassitudine inspersus erat querneae trabi librîli, quae pendebat e lacunari.

„Everre!" magister dixit. Digito indicavit scôpâs iuxta ianuam positas, deinde puerum sôlum relinquens abiit.

Crabatus coepit laborare. Scôpîs paucies huc illuc versîs îdem densâ nube pulveris erat obvolutus, nube pulveris farinacei.

„Sic hoc non bene succedit" intra se cogitavit „cum averrero pulverem a fronte, a tergo denuo erit accumulatus." Aperiam fenestram..."

At fenestrae extrinsecus conclusae erant clavîs impactîs, ianua erat obserata. Quotiescumque Crabatus illas quassabat et pugnis pulsabat: nihil proderat, hôc loco erat captus.

Crabatus coepit sudare. Pulvere farinaceo capilli ciliaque eius conglutinabantur, nasus pruriebat, fauces scalpebantur... Crabatus sibi videbatur versari in somnio malo et infinito: iterum iterumque pulveres farinacei densissimi, instar nebulae, instar procellae nivosae.

Crabatus aegrê respirabat, cum trabs librîlis fronti illideretur, vertigine correptus est. Num spem abiceret?

At scôpîs depositîs quid magister esset dicturus? Crabatus noluit gratiam magistri amittere, cum aliis de causis, tum timuit de cibis bonis accipiendis. Itaque ipse se cogebat, ut verrere pergeret: porro, retro, in horas, sine pausâ, indesinenter.

Tandem autem, aetatis ferê spatio transacto, ianuâ raptim apertâ aliquis intravit: Tonda.

„Exi foras!" is vocavit. „Meridies est!"

Hoc verbum puer statim secutus est, foras titubavit, anhelans spiritum hauriebat. Socius maior oculis in cellam farinosam coniectis, umeris concussis explicavit: „Ne solliciteris, Crabate – nemini in initio haec res melius successit."

Tonda nonnullis verbis non intelligibilibus murmuratis, aliquâ re aëri inscriptâ pulvis in cellâ sublatus est, quasi ventus flaret ex omnibus compacturis fissurisque. Nubes fumosa, alba, e ianuâ prorepta est – super caput Crabati, versus silvam.

Cella pulvere erat vacuata. Quae fuit nitida, ablatus erat pulvisculus vel ultimus. Puer tam vehementer stupefactus est, ut oculi dilatarentur.

„Quomodo hoc fit?" Crabatus interrogavit.

Tonda autem non respondens: „In domum" inquit eamus, Crabate, sorbitio frigescit!"

CRABATUS III

Duri labores

Crabato incohatum est tempus durum, magister eum, ut laboraret, instigabat immisericorditer. „Ubinam lates, Crabate? Hic sunt nonnulli sacci frumenti ad granarium trahendi!" et: „Crabate, vĕni huc! Frumentum est ibi, in paleario – vatillo transpone, sed funditus, ne germinet!" aut: „Farina, quam heri cribrasti, est plena glumarum. Quam post cenam suscipies purgandam, nec cubitum ibis nisi illa erit purissima!"

Molendînum in Uligine Coselianâ situm diem de die molebat, diebus feriatis et inferiatis, a summo mâne usque ad primas tenebras. Semel tantum in septimanâ, die Veneris, pueri molinarii opus diurnum prius finiebant quam aliis diebus, et die Saturni opus incohabant duabus horis serius.

Nisi Crabatus frumentum trahebat vel farinam cribrabat, ei lignum erat findendum, nives amovendae, aqua ad coquinam ferenda, equi strigillandi, carro stercus e stabulo vaccario vehendum – ne multa, semper satis ei faciendum erat; vespere autem sacco stramenticio incubans Crabatus sibi videbatur torqueri. Lumbi dolebant, cutis umerorum erat detrita, bracchia et crura tam vehementer dolebant, ut vix pateretur.

Crabatus admirabatur consocios suos. Duro opere diurno in molendîno faciendo illi nullo modo videbantur gravari, nemo fatigabatur, nemo querebatur, nemo laborans sudabat vel anhelabat.

Aliquo mâne Crabatus studebat aditum, qui ducebat ad puteum, vatillo a nive privare. Nocte praeteritâ indesinenter ninxerat, vento nives inflatae erant semitîs et ponticulîs. Crabatus dentibus frendebat, cum acriter dolerent lumbi, quandocumque nivem vatillo proiciebat. Tum Tonda e domo illum advênit. Cum cognovisset neminem praeter se ambos adesse, manum umero Crabati imposuit.

„Ne desinas, Crabate..."

Tum puer sibi visus est recreari novis viribus. Doloribus subito sublatis vatillum corripuit; perrexisset nives amovere studio flagrantissimo, nisi Tonda prensam eius dextram attinuisset.

„Ne Magister" inquit „hoc animadvertat neve Lysco!"

Lysco, longurio macerrimus, naso acuto, limis oculis, primo iam die Crabato non nimis placuerat: qui videbatur esse otacustes, odorisequus, tenebrio, subdolus subreptator, quin ullo momento temporis non immineret.

Crabatus „Intellexi" dixit et vatillum vibrans praetexebat se laborare magnâ cum molestiâ atque difficultate. Paulo post Lysco praeteriit tamquam fortuito.

„Heus Crabate" inquit „quomodo sapiunt labores?"

Puer mussitans: „Quomodo isti sapiant!" inquit „Fac devores merdam caninam, Lysco – ut scias istoc."

Inde Tonda saepius ad Crabatum veniebat eidemque clam manum imponebat. Deinde puer sentiebat se recreari viribus recentibus laboresque vel durissimos aliquamdiu facile exanclabat.

Magister et Lysco nihil acceperunt de his omnibus – nec ceteri pueri molinarii: neque Michael neque Martinus, consobrini, quorum alter altero haud minus robustus et clemens erat; neque Andreas, ioculator variolis cicatricatis obsitus, neque Hanzo, quem vocabant taurum, cervice taurino cum esset et capillis detonsis; neque Petrus, qui horas subsicivas degebat cochlearibus scalpro fabricandis, neque Stasco, omnis Minervae homo, qui erat mustelae agilitate necnon habilitate illius simioli, quem Crabatus annis antea admiratus erat in nundinis, quae fiebant Regivarthae. Nec Cito, qui circumambulabat semper vultu ita adducto, ut eius stomacho inesse videretur integra lîbra clavorum sutoriorum, nec Cubo, vir taciturnus, hanc rem animadverterunt – ne dicamus de stulto Iurone.

Iuro, catulaster robustus, cruribus brevibus, planissimâ facie lentiginosâ, officio fungebatur post Tondam e tempore longissimo. Ad artem molendi exercendam parum utilis erat, quia, ut Andreas solebat dicere irrisoriê, „stultior erat, quam ut discerneret farinam et furfures"; et quod îdem non iam pridem negligentiae causâ in molendîni machinamenta incidisset mŏlîsque esset fataliter interpositus: hoc infortunium non impeditum esse nisi eo, quod ipsis hominibus stultissimis res succederent felicissimê.

Ad talia verba audienda Iuro erat assuefactus. Patienter audiebat se ab Andreâ subsannari; nullo verbo contradicebat, cum Cito ei plagas minabatur causa vel minima; et quandocumque pueri molinarii ei, quod saepe fiebat, dolum nectebant, Iuro hoc subridens patiebatur, quasi diceret: „Quidnam vultis – me esse Iuronem stultum, sic quoque scio."

Sôla ad opera domestica facienda Iuro non erat nimis stultus. Quia necesse erat etiam has res ab aliquo perfici, omnes consenserunt haec opera curanda esse a Iurone:

cibos coquere et instrumenta escaria eluere, panem furno coquere, fornacem accendere, pavimentum everrere, scalas panno defricare, pulverem amovere, lavandaria lavare, ferramento levigare et cetera omnia, quae facienda erant in coquinâ et domo reliquâ. Necnon Iuro curabat gallinas et anseres et porcos.

Puer omnino nesciebat, quomodo Iuroni contingeret, ut tot officiis satisfaceret. At consociis haec omnia videbantur nullo modo extraordinaria nullâque laude digna esse, immo ipse Magister Iuronem tractabat tamquam homuncionem miserrimum. Crabato cum haec non probê fieri viderentur, aliquando – postquam strue lignorum in coquinam allatâ Iuro gratiae causâ (quod non primum fecit) eius sacculo bracarum indidit laciniam farciminis - : aliquando Crabatus Iuronem apertê allocutus est:

„Non intellego, quare tu patiaris tantas iniurias."

„Egon'?" Iuro mirans quaesivit.

„Ita – tu!" Crabatus dixit. „Magister te vexat turpissimê necnon sociii te irrident."

Iuro: „Nec Tonda" inquit „me irridet nec tu".

Crabatus contradicens: „Quid" inquit „hoc prodest. Ego si essem tuo loco, scirem, quid facerem. Ego me defenderem, intellegisne, nil mali paterer – neque a Citone neque ab Andrea neque ab ullo alio factum!"

„Hem" Iuro dixit cervîcem scalpens. „Fortasse tu, Crabate – tu scires hoc facere...At si quis est stultus?"

„Si ita, aufuge!" puer vocavit. „Hinc aufuge – et quaere alibi locum, ubi melius te habeas!"

„Aufugere?" Paulisper Iuro nequaquam visus est stultus esse, sed spe deceptus et fatigatus. „Ah, Crabate, quomodo conêris hinc aufugere!"

„Mihi quidem non est causa, cur aufugiam."

„Non" Iuro mussitans inquit, „causam certê non habes – speremus te non esse habiturum..."

Deinde Iuro frustum panis indidit alteri Crabati vestimenti sacculo, abnuit puero gratias acturo, eundemque per ianuam emovit: quadamtenus stultê subridens, ut solebat facere.

Crabatus autem panem atque farciminis laciniam sibi usque ad vesperum servavit. Paulo post cenam, cum socii molinarii in cellâ familiaricâ a laboribus requiescebant, Petrus res scalpriles attulit, ceteri coeperunt tempus terere fabellis narrandis, puer e circulo remotus in granarium ascendit, ubi oscitans in saccum suum

stramenticium se iniecit. Deinde panem farcimenque manducavit; et in dorso recubanti cibisque indulgenti subvenit Iuro – et sermo in coquinâ factus.

Crabatus verbum „Aufugere?" recordatus cogitavit: "Quidnam ego fugiam? Certê labores sunt sat duri – nisi adiuvarer a Tondâ, male me haberem. Sed cibi sunt boni et opipari, est mihi tectum, quo obtegar – et mâne surgens scio vespere mihi fore certum cubile: calidum et siccum et satis molle, expers cimicum pulicumve. Nonne haec sunt plura, quam licuit somniare puero mendico?"

CRABATUS IV

Itinera per somnium facta (IV)

Antea iam aufugerat Crabatus: paulo post mortem parentium, qui anno proximo praeterito variolis mortui erant; tum Dominus parochus illum in suam domum receperat, ne Crabatus – ut parochus dixit – delaberetur ad inopiam pudendam – nil nisi bene de parocho eiusque uxore, qui iam diu sibi exoptaverat, ut puer in domo esset. At talis puer qualis erat Crabatus, qui annos suos degerat in casulâ pêdiculosâ, in domunculâ pastorum Eutrichensi – talis puer aegrê assuescit ad vitam apud parochum degendam: a mâne ad vesperum se bene gerere, non conviciari, non colluctari, ambulare camisiis albis indutum, collo lauto, capillis pexis, numquam pedibus nudis, manibus puris, digitorum unguibus scalpendo purgatis – insuper per totum tempus loqui sermone Theodisco, immo Theodisco sermone excultissimo!

Crabatus pro virili parte conatus erat istaec perferre, per unam, per duas septimanas; deinde effugerat hominibus parochialibus seque adiunxerat ad pueros mendîcos. Fieri poterat, ut îdem etiam vitam in molendino Uliginis Coselianae degendam non in sempiternum perferret.

Crabatus ultimo frusto comeso labia lingens iam semisomnus: „Sed" inquit „si hinc aufugiam, oportet tempus sit aestivum... Antequam prata non florebunt, frumenta in agris pollina non ferent, pisces in piscinâ molendini non crepabunt, nequaquam hinc abibo..."

Aestas est, prata florent, frumenta pollina ferunt, in piscinâ molendini crepant pisces. Crabatus rixatus est cum Magistro: Prout saccos portaret, in umbrâ molendini

graminibus impositus obdormivit; Magister Crabato deprehenso plagam inflixit baculo nodoso.

„Audi puerule, tibi inculcabo – ne pigrêre luce clarâ!"

Num Crabatus debet istud perferre?

Fortasse hieme, qua ventus gelidissimus per ericetum fremebat, illo tempore ei fuisset obtemperandum more canino. At nunc - num magister oblîtus est tempus esse aestivum?

Crabato concilium cepit animo firmo. Se in istoc molendino remansurum esse ne uno quidem die! Puer furtim domo exit, e granario affert vestem mitellamque, deinde se apoculat. Nemo eum videt. Magister in conclave suum recessit, fenestrae propter calores pannis sunt velatae; pueri molinarii laborant in conditorio aut in meatibus molaribus; ipse Lysco non vacat Crabato curando. Tamen puer sibi videtur clam observari.

Conversus animadvertit in tecto tugurii lignarii aliquem sedêre se aspectantem oculo torpido: nigrum cattum hirsutum, hôc loco alienum – unoque tantum oculo instructum.

Crabatus dorsum incurvat, lapidem in illum proicit, fugat. Deinde in salicetum abditus properat ad molendini piscinam. Forte videt pinguem cyprinum prope ripam in aquâ stantem: torpet istius oculus in Crabatum subiectus solitarius.

Puer parum iucundê se habet, lapidem sublatum proicit in piscem. Cyprinus autem submergitur in abyssum viridem.

Nunc Crabatus Aquam Nigram sequitur usque ad illum locum Uliginis Coselianae, quem vocant Plânum Vâstum; ibi per nonnulla momenta temporis moratur ad sepulchrum Tondae. Aegrê recordatur se amicum aliquo die hiemali hîc foris debuisse sepelire.

Cogitat de mortuo – et subito, tam repente fit, ut obtorpescat: corvus crocitat raucisonus. In pinu detortâ in margine Plâni corvus pinguis sedet immotus. Cuius oculus est in Crabatum coniectus – corvo quoque, puer hoc videt horrescens – deest oculus sinister.

Crabatus nunc scit, quid sibi immineat. Nec mora, aufugit: cursitat quam rapidissimê, praeter Aquam Nigram, secundo rivo.

Cum primo anhêlans sistit, natrix per erîcas serpit, surgit sibilans, Crabatum aspicit – ista quoque est lusca! Lusca quoque est vulpes, quae e dumeto in Crabatum speculatur.

Crabatus cursitat, paulisper respîrat, cursitat et respîrat. Versus vesperum assequitur superiorem Uliginem Coselianam extremam. Sperat fore, ut, si in loca aperta prodierit, manûs Magistri effugiat. Raptim manûs aquae intingit, frontem temporaque conspergit. Deinde camisiam bracis infarcit, quae currenti erat elapsa, cingulum adstringit, ultimos gradûs facit – et terrore percutitur:

Prout, quod speravit, prodeat in ericetum apertum, prodit in loca collucata; et mediis in istis locis collucatis, in placido lumine vespertino, situm est molendinum. Magister Crabatum ante ianuam domûs exspectat. Idem: „Heus Crabate" inquit salutans irrisoriê „iussurus iam eram te quaerere."

Crabatus irâ incensus non intelligit, quomodo hoc incommodum sibi acciderit. Postridie iterum aufugit, nunc summo mâne, ante rorem primamque lucem – in directionem adversam, e silvâ, per campos et prata, per vicos et viculos. Trans rivulos salit, per paludem vadat, sine morâ, sine pausâ. Corvi, natrices, vulpes non respicit; nullum piscem aspicit, nullam cattam, nullam gallinam, nullum anatem marem. Crabatus cogitat: ‚Sive isti sunt uno sive duobus sive – per me – sunt nullis oculis – nunc quidem me non perturbabunt!'

Tamen Crabatus hôc longo die finito iterum stat ante molendinum in Uligine Coselianâ situm. Hodie eum salutant pueri molinarii: Lysco verbis malevolis, ceteri taciti potius miserentes. Crabatus paene desperatus est. Qui scit spem sibi esse abiciendam; sed hoc cum nolit credere, tertium conatur, ipsâ eâdem nocte.

Aufugere e molendino ei non est difficile – deinde semper sequitur stellam borealem! Licet caespitet, licet in tenebris allisus atque contusus accipiat livores et tubercula: Caput rei est a nemine conspici, a nemine fascinari...

In propinquo clamat noctua, deinde ulula praetervolat; paulo post Crabatus in lumine stellarum animadvertit vetustum bubonem: qui propinquissimus in ramo sedens Crabatum observat – oculo dextro, deest sinister.

Crabatus pergit currere, incidit in radîces, caespitans cadit in fossam aquaticam. Vix miratur, quod primâ luce tertium stat ante molendinum.

In domo hac horâ adhuc omnia silent, nemo nisi Iuro strepitat in coquinâ, ad focum agitat. Eo audito Crabatus init.

„Rectê dixeras, Iuro – fieri non potest, ut hinc aufugiatur".

Iuro ei dat aliquid bibendum, deinde dicit: „Oportet primo lavêris, Crabate". Sodalis adest ei camisiam madidam, humo et sanguine inquinatam exuenti, situlam aquâ complet et deinde –vultu serio, non, ut solet, stupidê adducto: „Id quod tu solus non

assecutus es, Crabate – hoc nescio an fiat, si duo erunt inter se consociati. Nonne placet unâ conari, proximâ vice?"

Crabatus expergefactus est strepitu puerorum molinariorum, qui scalas ascenderent cubitum ituri. Adhuc sapiebat farciminis gustum labiis remanentem: intellexit se non diu dormivisse, quamvis somnio a se perlustrati essent duo dies noctesque.

Postridie mâne factum est, ut per nonnulla momenta temporis solus esset cum Iurone.

Crabatus: „Somniavi" inquit „de te. Tu in somnio mihi aliquid proposuisti faciendum."

„Egon'?" Iuro respondit. „Certê nil somniasti nisi gerras, Crabate. Optimumst istam rem respuere!"

CRABATUS V

Vir pennâ galli instructus

Molendînum Uliginis Coselianae instructum erat septem molariis. Sex adhibebantur continuo, unum numquam; itaque eundem vocavere molarium mortuum. Quod situm erat in cellâ molitoriâ extremâ. Primo Crabatus putaverat ibi fortasse dentem pectaculi esse diffractum aut axem transmissorium esse cuneatum aut quamcumque aliam partem machinamenti esse defectam – tum quodam mâne in coassatione, sub molarii mortui effundibulo, scopans invênit aliquantulum farinae. Intentius aspiciens invênit etiam in mylothecâ vestigia farinae recentis, quasi eadem, cum post opus extrinsecus pulsaretur, non satis esset purgata.

Num nocte praeteritâ molitum esset molario mortuo? Si ita, necessario hoc factum esse clam, illo tempore, quo omnes dormirent. Nonne omnes hac nocte dormivissent, tam artê firmêque quam puer ipse?

Crabato subiit pueros molitorios hodie ientaculum sumpturos apparuisse faciebus pallidis, oculis concavis, nonnullos furtim oscitavisse; nunc hoc Crabato visum est perquam suspiciosum.

Puer curiosus per scalas ligneas ascendit ad suggestum, unde grana molenda saccatim infunduntur in infundibulum, e quo deinde per lancem quassabilem intercurrunt lapidibus molaribus. Si infunditur, numquam impediri potest, ne nonnulla

grana cadant praeter infundibulum, - at contra Crabati opinionem sub infundibulo nulla posita erant grana. Istae res in suggestu disiectae, quae primo aspectu visae erant silices: secundo apparuerunt esse dentes – dentes et fragmenta ossium.

Puer horrore perfusus clamaturus sonum edidit nullum.

Subito Tonda post eum stetit. Quem venientem Crabatus non audiverat. Nunc Tonda pueri manum apprehendit. „Heus Crabati, quid vis ibi supra? Descende, antequam deprehendêris a Magistro – et obliviscere ea quae vidisti. Audin', Crabate – ista obliviscere!"

Deinde Tonda Crabatum per scalas deduxit; et vix puer asses cellae molaris pedibus tetigerat, cum omnia, quae hôc mâne erat expertus, est oblîtus.

Alterâ parte dimidiâ mensis Februarii frigora facta sunt acria. Itaque socii omni mâne debuerunt glaciem catarractae obductam dolabrîs perfringere. Nocte, rotâ molari quiescente, aqua in vatillis gelu mutata erat in crustas crassas: eae quoque erant decidendae, antequam licebat expedire machinamentum molare.

Periculosissima erat glacies fundi, quae eccrescebat e fundo canalis. Ut impedirent, ne rota molaris hac glacie sisteretur, interdum duo socii debebant descendere rotamque dolabris a glacie liberare – nemo cupiebat hunc laborem exanclare. Tonda autem severê curabat, ne quis hunc laborem subterfugeret. At cum ordo vocaret Crabatum, ipse Tonda descendit in canalem – dicens istud ne faceret puer, îdem tali labore ne quid detrimenti caperet. Ceteri assenserunt, Kito tantum, ut solebat, obmurmuravit, necnon Lysco: „Detrimenti" inquit „omnis aliquid faciet, nisi attenderit."

Incertum est, num forte an consulto hoc acciderit: ipso eodem momento temporis praetervênit Iuro stultus, utrâque manu situlam pabuli porcarii gerens; Lysconem praeteriens caespitavit; quo factum est, ut ille offusus superabundaret foetidis epulis porcorum. Lysco exsecrabatur, Iuro eum obsecrans affirmabat se ipsum sibi velle alapam ducere, quod tam ineptê se gessisset.

„Eheu" Iuro inquit „animo fingo, quantus foetor tibi futurus sit proximis diebus – et istud factum est meâ culpâ, meâ maximâ culpâ... vae, vae, vae tibi, Lysco, vae, vae, vae! Ne aegrê feras, rogo te multimodîs, miseret me etiam miserorum porcellorum!"

Crabatus nunc saepius cum Tondâ aliisque catulastris in silvam evehebatur ad arbores caedendas. Cum crassis vestimentis obvoluti in sclodiâ sedebant, pulte matutinâ ingurgitatâ, mitellis pelliciis fronti extremae impressis, Crabatus tam iucundê se habebat, ut putaret ne ursum iuvenem quidem melius se posse habere.

Arbores, quas caedebant, ipsis locis a ramis privabantur, decorticabantur, ad aptam longitudinem recidebantur, construebantur, satis laxê, lignis transversis interpositis, ut vento bene perflarentur, antequam hieme venturâ transportarentur ad molendinum, ubi dedolando fierent trabes aut serrando tabulae assesque.

Ita septimanae transibant, quin vita Crabati multum novi fieret. Nonnulla autem, quae circumcirca fiebant, Crabato videbantur mira. Alienum erat numquam homines advenire molendînum, qui emerent farinam. Num idem ab agricolis propinquis vitaretur? Tamen molaria operari diem de die, grana infundibulîs infundi, mŏli hordeum et avenam necnon fagopyrum.

Num far et farina, quae diurno tempore e mylothecis currerent in saccos, nocturno remutarentur in frumentum? Crabato talia videbantur reverâ fieri posse.

Primâ mensis Martii septimanâ exeunte tempestas raptim mutata est. Flare coepit ventus occidentalis, quo caelum abundê obnubilaretur. „Nix" Kito inquit mussitans, „est casura. Quod sentio ossibus meis." Reverâ aliquantulum ninxit, plumis crassis, aqueis; deinde guttae illis sunt interiectae, nix transiit in imbrem, ut plueret urceatim.

Andreas Kitoni: „Heus Kito" inquit „oportet colas calamîtên: ossibus nulla iam fides est".

En tempestatem spurcatissimum! Imbres rapidi, procellis proiecti, nix autem et glacies subsitae liquescebant, ut piscina molendîni augeretur periculosê. Necesse erat illos foras ire in loca umida, ut catarractam densarent et postibus firmarent.

Num catarracta fluctibus esset restitura?

Crabatus cogitavit: „Si iste imber cadere perrexerit, nos intra triduum cum molendîno submergemur."

Vespere autem diei sexti imber est finitus, compage nubium diruptâ per pauca momenta temporis silva nigra, madidissima excanduit sole vespertino irradiata.

Nocte sequenti Crabatus somnio territus est: Incendium excitatum esse in molendîno. Molendinarios de saccis stramenticiis prosiluisse, strepentes scalis raptim descendisse; at se ipsum, Crabatum, in camâ prostratum esse tamquam caudicem, non potuisse e loco moveri.

Iam in compage molendîni striduisse flammas, iam faciei insiluisse scintillas priores – tum subito surrexit clamore sublato.

Oculos fricavit, oscitavit, circumspexit. Ecce – repente obstupefactus est, oculis suis diffidens. Heus catulastri ubi essent?

En saccos stramenticios vacuos et relictos – properê videbantur relicti esse: stragula raptim reversa, lintea divoluta. Hîc iacca lanea in pavimento, ibi mitella, focale, cingulum – quae omnia bene conspiciuntur lucernâ rubrâ ante fenestram fastigii coruscante...

Num reverâ in molendîno fieret incendium?

Crabatus subito excitatissimus fenestram raptim aperuit. Proclinatus conspexit plaustrum in molendîni propatulo stans, graviter oneratum, tegumento tumido, pluviâ denigrato, cui adiuncti erant sex equi, omnes sex colore nigerrimo. In sellâ aurigae sedebat aliquis collari paenulae sursum retorso, petaso fronti admoto, iste etiam erat colore nigerrimo. Exceptâ pennâ galli, quam gerebat petaso affixam – ista lucebat ruberrimê. Quae flamma similis vento flagrabat: modo gliscens, repente et acriter, modo subsidens, quasi exstingueretur. Ista penna tam vehementer lucebat, ut propatulum appareret lumine fragranti.

Socii molinarii inter domum et plaustrum obtectum huc illuc properabant, saccos deponebant, in cellam molarem trahebant, denuo accurrebant. Hoc faciebant tacitê atque rapidissimê. Nulla acclamatio, nullum maledictum, nihil nisi catulastrorum anhelatio – et interdum vecturarius curabat, ut flagro resonante capitibus propinquissimo aëra agitatum sentientes illi laborarent studio etiam acriore.

Necnon studebat ipse Magister. Îdem, qui alioquin numquam in molendîno ullo modo laboraret, qui numquam digitum moveret ad opus faciendum: hac nocte collaboravit. Magister cum aliis laborabat certatim et durissimê, quasi accepturus esset salarium.

Semel operâ breviter interruptâ evasit in tenebras – nequaquam, ut requiesceret - quod Crabatus suspicatus est – sed ut cursitaret ad piscinam molendîni ibique postibus remotis catarractam recluderet.

Tum aqua in fossam molendini proiecta est, torrens affluxit, in canalem scaturiens se proripuit. Itaque rota molaris coepit torqueri gemiscens; lentius accelerata est, deinde vegetê currebat. Nunc necesse erat molaria incipere expediri fremitu fusco, sed unum tantum est expeditum – id autem sono, qui erat puero alienus. Qui sonus videbatur venire ex angulo molendîni extremo, fremitus et crepitatio strepitans, cui intermiscebatur absona quiritatio, mox transiens in fuscum ululatum, quo aures torquerentur.

Crabatus molarium mortuum recordatus sensit se horripilare.

Interim infra opera continuabatur. Plaustrum obtectum exoneratum est, deinde socii molinarii paulisper vacaverunt – sed paulo post denuo incohatus est durus labor: nunc sacci e domo trahendi erant ad plaustrum. Quaecumque illi sacci antea continuerant: ea nunc reportabantur mŏlĭta.

Crabatus saccos numeraturus obdormivit. Primo gallicinio experrectus est rotis plaustri strepitantibus. Puer modo conspexerat alienum illum flagro crepitante pervehi prata umida, versus silvam – et mirum dictu: plaustro graviter onerato in graminibus vestigia relicta sunt nulla.

Aliquantulo post catarracta est clausa, rota molaris currere desiit. Crabatus furtim ad sedem suam recessit stragulumque capiti obduxit. Socii molinarii per scalas ascendebant titubantes laborando lassati et fatigati. Tacitê petiverunt cubilia sua, Kito tantum aliquid murmuravit de noctibus novilunii ter exsecrabilibus laboribusque infernalibus.

Postridie mâne Crabatus fatigatus vix surgere poterat, caput ei dolebat, stomachus erat infirmus. Ientaculum sumens aspectabat socios molinarios: qui erant somniculosi somnoque non satiati. Iidem morosi pultem degluttiebant. Ipse Andreas non paratus erat ad iocandum; qui duris oculis in patinam despiciens sonum êdebat nullum.

Ientaculo facto Tonda puerum seorsim ductum sic allocutus est:

„Tune male dormivisti?"

„Aliquatenus" Crabatus inquit „Mihi quidem non erat laborandum, equidem nil feci nisi vos aspectavi. At vos! – Quare me non expergefecistis, cum alienus ille plaustro advênit? Haud scio an me non excitaveritis, ut hoc me celaretis – similiter ac tot res, quae fiunt in molendîno, vos cavetis ne ego noscam. At ego neque caecus sum neque surdus – praesertim non sum baceolus atque vacerrosus, talis homo nullo modo sum!"

„Nemo" Tonda inquit „hoc contendit".

„At vos" Crabatus magnâ voce inquit „sic ipsos geritis! Vos mecum luditis muscam aeneam – quare tandem istum lusum non finitis?"

„Omnia" Tonda tranquillê inquit „egent tempore praescripto. Mox experiêris, qualis sit Magister et quale sit hoc molendînum. Hic dies et haec hora opinione tuâ sunt propinquiores: hoc tempus exspecta patienter."